



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 73. Conjuratio coram Guisiis Principibus detecta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

vocato, nomine Petro Avenella, viro alias probo, sed Calvinii sectæ addictissimo. Hic ex frequenti hinc inde ad Renaudium hospitem suum confluentium turba arcanum quoddam consilium latere suspicatus, quadam die familiare cum eo colloquium instituit, eumque, ut hujus concursus causam ipsi manifestaret, rogavit, tamque validis rationibus ei demonstrabat, quod hoc secretum aliis, qui tamen ipso minus huic factioni utiles forent, creditum fuerit.

Sæc. XVI.
A.C. 1560.

§. LXXIII.

Conjuratio coram Guisfis Principibus detecta.

Tandem Renaudius Avenellæ rationibus expugnatus, conjurationis secretum eidem manifestabat: hic vero, se huic consilio favere initio simulabat, cum autem rem apud se maturius discuteret, magnitudine negotii, ac periculi terrebatur, idque, licet publicæ utilitatis obtentu honestaretur, minime tamen salva Religione licere censebat, eoquod eorum, quos Princeps regno administrando præfecit, mores dijudicare, vel illorum muneri, minus vero vitæ insidiari, ad subditos nequaquam pertineat: eapropter solæ conscientiæ suæ stimulo excitatus Avenella Alpha-

*Belcar. l. 28.
num. 44.
Mem. de
Castellnau
l. I. cap. 8.*

num

Sæcul. XVI.
A. C. 1560.

num Alamantium Vozæum libellorum supplicum Magistrum, qui secretiora Lotharingii Cardinalis negotia procurabat, accedit, & coram Mileto, qui Guisio Duci ab epistolis erat, totam conjurationis seriem detegit: verum vix indicio habita fides, sed quia ex longinquis locis quotidie nuntii ad Guisianos Principes veniebant, qui paratas contra ipsos in Francia insidias, ac ab iis, nisi mature caverent, extremum exitium instare significabant, hinc rei veritas minus dubia videbatur, quamvis illi, qui hac de re literas ad Guisios miserant, plura rescribere haud scivissent: mox tamen Miletus unacum Avenella veredariis equis ad Guisium Ducem contendit, qui tamen jamjam unacum rege Ambasiam profectus erat.

Igitur Avenella Ambasiam delatus coram Regis Senatu comparet, cunctisque præsentibus quamdam conjurationem sibi esse manifestatam enuntiat, Castellioneos tamen ex conjuratorum numero esse dubitabat, quocirca Regina Mater, ut hac de re certiores hauriret notitiam, Guisiorum suasu Colinium Castellioneum, seu maris Præfectum atque Andelotum literis summæ benevolentiae plenis ad aulam evocat, obtendens, se maximi momenti res habere, quas cum illis conferret. Hi
igitur

igitur mox unacum Cardinale fratre suo aulam accedunt, & postquam a Regina ad suum cubile admissi sunt, ipsa cum Colinio Præfecto secretum habuit colloquium, eidemque ambiguis nonnisi verbis significabat, quod seditionem summe periculosam toti regno impendere, omni ex parte nuntiaretur, hinc qua ratione tanto malo obviari posset, ab eo sciscitabatur. Colinius verbis admodum vagis hæc respondit, si quædam rebellio conflatur, illius abs dubio duplex erit causa, & quidem prima immodicus rigor, ac poenarum severitas, quibus Calvinistæ plectuntur, altera autem est violenta rerum administratio a Guisiis attentata: proin nascenti malo obsisti poterit, si conscientiae libertas concedatur, regni vero administratio ad Regiæ stirpis Principes devolvatur. Ex hoc responso Regina haud obscure colligebat, sibi que persuasum habebat, quod Castelliones, seu Colinii conjurationis conscii essent, eo quod Colinius Præfectus duntaxat binas, easdemque prorsus attulisset rationes, ob quas seditionem esse motam Avenella exponebat. Postea Olivarius Cancellarius Guisiis a Coliniis proposita referens pariter mitigandis rebellium animis optimum remedium dixit, si edicto proposito præteritorum venia sanciat, &

Hist. Eccles. Tom. XLIII. B b per-

Sæcul XVI.
A.C. 1559.

*Fallav. c. 12.
num. 12.
Spond. n. 6.
& seq.*

Sæcn' XVI. A.C. 1559. permiffa interim conscientis libertate Concilii liberi propediem celebrandi spes fiat: præcipue cum ad illud fummus Pontifex animum fatis propenfum exhibeat.

§. LXXIV.

Regis edictum in favorem Calvinistarum.

Placuit Olivarii confilium, quocirca Rex promulgato edicto in quempiam ex fuis fubditis ob Religionem inquire prohibuit, ab hac tamen gratia exclusis Calvinistarum Præconibus, omnibusque illis, qui Religionis prætextu in Regem, Reginam, Regis Matrem, ejus fratres, ac reliquos Principes, Ministrosque, vel in Regiam denique familiam Regisque Christianiffimi domesticos confilia inierunt. Intererant Senatui, in quo hoc edictum condebatur, Colinius Præfectus, ejusque fratres, ac ceteris prior Rex, & postmodum Regina ejus Mater illud proprio firmarunt chirographo, pariterque tres Castelliones, nimirum Cardinalis, Colinius, & Andelotus, cum id recusare haud possent, huic edicto subscripserunt: eapropter mox divulgatum est, hosce tres factioni nuntium mississe: attamen, ne ex hac fama ceteri animo conciderent, adeo prompto occurrebant remedio, tamque festinanter

missis